

Heinrich Rahn

Rector Universitatis Rostochiensis Henricus Rahne Iuris Doct. & Prof. Ad Exequias, Quas ... Dn: Cunoni Sibrando Senatori huius urbis meritissimo Vidua & liberi moestissimi ... Cives Academicos omnes & singulos peramanter invitat

Rostochi[j]: Kilius, 1637

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn774782714>


Druck Freier  Zugang




Rahne, H.,
in
C. S i b r a n d .

R o s t o c k , 1 6 3 7 .

22.





14.

RECTOR
Universitatis Rostochienſis
HENRICVS RAHNE
Juris Doct. & Prof.

ADEXEQVIAS,

QUAS


Viro prudentiſſimo & integerrimo

DN: CVNONI
SIBRANDO

Senatori hujus urbis meritiffimo
Vidua & liberi moeſtiſſimi

*Hodiè horâ mediâ primâ in Templo Divæ Mariæ
ſacro adornatas expetunt.*

Cives Academicos omnes & ſingu-
los peramanter invitat.



ROSTOCHJ,

Prælo NICOLAI KILII, Acad. Typogr.

ANNO M DC XXXVII.

RECTOR
Universitatis Rostochiensis
HENRICVS Rahne/
J. D. & Prof.



Husmodi omnium hominum conditio est, ut ter mori possint. Una mors est separatio, seu dissolutio anime & corporis, quae quidem communis nobis est cum brutis: bruti tamen anima, quemadmodum & sensuum nostrorum vigor, perit omnino in morte: nostra autem immortalis est, & vel ad locum beatitudinis aeternae, vel sempiternae condemnationis transfertur, prout ille, cui commissa fuit à Creatore, in terra vixit. Et haec mors est stipendium peccati, quod mortalium nullus subterfugere potest. Nam nemo sibi crastinum diem audet polliceri.

Omnes una manet nox.

Quicquid habet ortus, finem timet, ibimus omnes, Ibimus. Et quis homo vivit, inquit regius Psaltes, qui non videbit mortem, qui eruet animam suam de manu inferni? Altera mors est, quâ mundo peccatis, omnibusq; terrenis voluptatibus, ac vanis illecebris morimur, & vivimus Deo, at Paul. loquitur, in Jesu Christo Domino nostro. Tertia mors est aeternus cruciatus, & privatio Dei, quâ sanè nihil potest esse terribilius, nihil calamitosius, nihil asperius, nihil acerbius. Hoc postremum mortis genus, quod vere mors est, graviter lugendum, hoc gemendum est maxime.

mè. In eo enim, ut Augustinus loquitur, mors est sine morte, finis sine fine, defectus sine defectu; quia & mors semper vivit, & finis semper incipit, & defectus nunquam deficit. Magna itaque contentione, summâ curâ, immenso conatu mors hac perpetua miseria & infelicitati obnoxia fugienda est. Non autem melius evitari potest, quam si mortem illam secundam, quâ mundo nos mori jam dixi, anxie queramus & persequamur; hoc est, si quotidie offeramus Domino spiritum contribulatum, cor contritum & humiliatum; si piè & sobriè vivamus, si ambulemus in dilectione; si firmemus nos ad continentiam; si instruamus nos ad patientiam; si preparemus nos ad ultimam vitæ horam, quæ singulis momentis expectanda est; si presentia, quæ caduca sunt & fluxa, aspernemur; si futura, quæ perpetua sunt, cogitemus; si fortiter pugnemus ad versus carnem, & Diabolum, cui resistere non valemus, nisi conscij imbecillitatis nostræ indolenter clamemus ad Deum, ejus poscamus opem, oremus presidium; & hoc firmiter freti (nam non rejicit clementissimus parens, qui ad eum confugiunt) apprehendamus arma, quæ Apostolus in Epist. sua ad Ephes. cap. 6. ex sacro quasi armamentario nobis suppeditat; & sunt veritas, justitia, pax, fides, verbum Dei: si denique in hac miseriarum valle & labyrintho pietate, tanquam Thesei filio, ducti cautè versemur, & Christo redemptori nostro placere unice appetamus. Hac omnia si vel pertinaciter negligimus, vel malitiosè omittimus, sanè tum ita vivimus, ut in hac ipsa vita horrenda illa mors, de qua jam tertio loco sermo nobis fuit, capiat exordium. Deus enim nos deserit: desertus verò qui est à Deo, & sibi relictus, ejus anima rectius mortua, quàm viva perhibetur. Sicut enim corpus mortuum aicitur, à quo separata est anima; ita mortua illa est anima, à qua sejunctus est Deus. Quamvis autem erumnosissima sit hujus mortis conditio, tamen ingens hominum multitudo peccatorum sordibus immersa eam præfert

vera vita. Quemadmodum enim saepe in domo integra & firma dominus adiuam jacet mortuus: sic in corpore incolumi & vivo quam plurimi animam circumferunt mortuam, hoc est, à Deo desertam. Sed hujus à mortis consideratione iterum ad priorem illam, cujus in initio facta est mentio, paululum revertar. Ea verò, etsiam si ut plurimum injucunda sit propter dissolutionem nexus jucundissimi, qui est inter animam & corpus: tamen nec inexpectata esse potest propter legem divinitus positam, nec horrida esse debet propter quietem Christi morte partam. Quocumq; die comederis fructum vetitum morte morieris, edixit summus Dictator. Comedit Adam: secuta est poena edicti, amissus fuit Deus, atq; ita mortua statim est anima, qua tamen revertente Creatore, & pradicante Evangelium de semine mulieris revixit quidem, at mori continuo & arescere capit stirps humani generis cum omnibus ramis ac universa posteritate; adeò, ut vix subsistat illa computatio, quando crescente puero dies ipsi accedere dicimus. Neq; enim viventi accedunt dies, sed decedunt,

Nascentes morimur, finisq; ab origine pendet.

Inde sapientes nonnulli vitam nominarunt transitum ad mortem, & separationem anima non mortem, sed mortis terminum; non exitum, sed transitum ad meliora. Artabanus apud Herodotum inquit, mortem esse optatissimum perfugium arumosa vita, portum malorum, & effugium miseriarum. Vita nostra carcer anime est, mors autem liberatio: vita hac terrena labor est & dolor; mors contra quies, & somnus. Nam ubi firma fides resurrectionis, ibi non est species mortis, sed potius quietis. Vita haec caduca mercatura est & permutatio quaedam parvorum cum magnis, & cum momentaneis aeternorum: mors verò lucrum est. Vita nostra umbra saltem vita est: mors beata vera & immortalis vita est initium. Ad hanc vitam, ad hanc metam translata ante paucos dies est anima viri prudentissimi & integerrimi Dn. CUNONIS SIBRANDI, qua dum in mortali corpore ha-
bitavit

bitavit, semper enixa est vivere Christo, mori mundo; unde hoc tandem relicto, ad illum latè transmigravit. Postulat autem & mei instituti ratio, & hodiernus dies, ut paucula de viri hujus cursu & peregrinatione, quam nobiscum in terris peregit, edisseram, & abeuntis memoriam conservem. Natus ille fuit in hac urbe Anno 1572. die 15. Novemb. patre viro spectatissimo HENRICO SIBRANDO civè primario, & matre DOROTHEA SVCHTINGIA ex pervecusta & nobili Wencksterniorum familia oriunda. Avus illi paternus fuit JOHANNES SIBRANDVS, civis hujus urbis honestissimus, maternus verò vir amplissimus JOHANNES SVCHTINGIUS præclaro genere Suchtingiorum apud Hamburgenses prognatus. Hi Progenitores filium suum Canonem in teneris statim annis studio pietatis, ac bonarum literarum naviter informari curarunt, certò persuasi, quod, quemadmodum corpus medicina, sic animum litera curent, & quod artes liberales pulcherrime sint divitiæ. Ipse quoq; defunctus à prima adolescentia non otio, quòd pulvinar Sarana veteres dixerunt; non voluptati, qua maiorum esca, non inertia, qua stultitia mater est: sed honestis actionibus ingenuisq; disciplinis totum se dedit, & talem se gessit, ut boni omnes hac de bona indole egregiam spem conciperent, qua ipsos non fefellit. Vir enim evasit bonus, eruditus, & prudens, qui & sibi, & aliis prodesse potuit. Postquam ad firmiorem aetatem pervenit, singulari Dei providentiâ sibi vitæ sociam elegit virginem elegantissimam, & pudicissimam MARGARETAM CLERIKEN, ex clarissima & vetustissima Clericorum familia ortam, qua cum eo anno 1605. die Martini Christiano more copulata est. Hoc conjugium uti felix & suave, ita sæcundum fuit, & fertile. Geniti enim in eo sunt quatuor filij, totidemq; filia, licet filiorum ultimus in ipso parva fuerit extinctus. Ex filiabus primogenita DOROTHEA viro clarissimo & consultissimo Dn. D. BERNHARDO LVDEKINGIO, illustris judicij Megapolitani Advocato & Procuratori eximio nupsit: secundo-genita CATHARINA viro conspicuo & ornatiss. Dn.

CHRISTIANO Haltermann/ Civi apud Gultrovienses primario nu-
ptui data: & tertia MARGARETA Dn. CAROLO Sibethen/ Civi hu-
jus urbis præstanti fuit elocata; ex quibus vidit duodecim nepo-
tes ac neptes charissimos. Et hoc quidem felicitatis humana non
exigua est portio; non tamen ita commendat memoriam demor-
tui, quam id, quod jam dicturus sum.

Cum ejus industria, & in rebus agendis peritia obviam cuius
esset, templo divæ Mariæ sacro præfectus est; tum quoque factus col-
legij centumviralis membrum, ac paulo post in sedecim virorum
collegium communi suffragio cooptatus est. In quibus officiis non
tantum omnium expectationi satisfecit; sed negotia sibi commis-
sa tanta cum diligentia, tanta cum laude administravit, ut Se-
natus amplissimus Anno 1622. in senatorium ordinem ipsum rece-
perit, successuque temporis cum ordinariis, tum extraordinariis
muneribus præfecerit. Quam dextrè, quam fideliter, quam pru-
denter, & quam masculè ea omnia peregerit, quanta pericula,
præsertim hoc turbulentiſſimo rerum statu, abi

————— lævit toto Mors impius orbe,
in functione hac sua subierit, imò perruperit, norunt ij, qui ipsum
collegam habuerunt, & quos non latet, quanto cum onere & di-
scrimine nunc temporis honos magistratus sit conjunctus. Didici-
cerat ille, omni timore deposito Reip. liberè consulendum, & nul-
lum casum pro salute patriæ non ferendum esse. Pericula igitur,
labores, doloresque pro urbe patriæ suscipere maluit, quam
deserere ullam officij partem. Molestias etiam, quibus vita no-
strâ privata subjecta est, vel patienter tulit, vel divino dogmate
dimovit: neminem enim scivit esse cui non accidat infortunium.
Posteaquam Anno 1626. fata ipsum primâ conjugè, dimidio
cordis privarunt, in statu viduitatis permansit usque ad annum
1630. quo demum ad secunda vota transit, & sceminam lectissi-
mam ac matronalibus virtutibus decoratam SOPHIAM Hauff-
manns, Osvaldi Stedani relictam viduam matrimonio sibi junxit;
cumque

cumq; ea vita reliquum transegit. Fratres quidem germanos
habuit numero novem, & duos uno latere junctos: ex hisce
tantum supersunt consultiſſimus & clarissimus Dominus JO-
HANNES SIBRANDVS F.U.D. eximius, olim Professor hujus Acade-
mia, post Syndicus urbis longè dignissimus, & ERNESTVS SIBRAN-
DVS, vir integer & gravis, civis hac in civitate præcipuus: ceteri
omnes mando huic immundo jam dudum valedixerunt, quos
insecutus CVNO noster abiit ad sedem beatorum, ubi lux
est sine tenebris, vita sine miseria, & sine maculâ puritas perpe-
tua. Prius autem, quam eò pervenire potuit, sæpè gravissi-
mos in vita sua curriculo morborum assultus sentire fuit coactus;
quos tamen natura bonitate & adminiculo fortiter sustinuit, do-
nec tandem Scorbutus & renum calculus eum acriter exagita-
rint, corporisq; robur & sanitatem penitus prostrigarint. Hos
enim morbos, has imbecillitates mors, uti prænuncias, ad eum mi-
sit, ut finem vitæ ipsi significarent. Cum itaq; peregrinationis
sue terminum instare intellexisset pater noster, sacrosanctæ
cenæ viatico animam instruxit, instructam Salvatori suo piis præ-
cibus commendavit, commendatam eidem exigenti promptus
paratusq; reddidit die 21. hujus mensis, circa horam octavam ma-
tutinam, anno ætatis 65.

Nostrum jam erit, Cives Academici, non solum erga viduam
& liberos mestissimos, sed etiam erga totam Sibrandorum fami-
liam, quæ amplissima est, & honestissima, in hac clade domestica
benevolentiam & omnimodæ nostram declarare, lugentium
dolori quoddam levamentum afferre, & quod pietas exigit, hu-
manitasq; suadet, exequiis piæ defuncti frequenter adesse. Ut
itaq; hanc ob causam horâ primâ in templo Mariano conveniatis,
diligenter hortor ac moneo. Neq; hoc, quicquid est officij, nobis
inutile poterit esse, si, dum aliorum in funus procedimus, recorde-
mur, quod etiam nos eidem legi sumus subjecti. Olim apud Egyptios
in divitum convivii singulis convivis ostendebat quispiam cada-

vet

ver lignum dicens: in hoc inuenis pota, & oblecta, de talis post
mortem futurus. Hoc procul dubio fecerunt ob id, ut memores sua
conditionis moderatius fruerentur voluptatibus. Similiter & nos,
qui inter carnis oblectamenta, & mundi delicias, tanquam dubias
& lautas inter epulas vidimus, Deus vita Dominus quotidianis
funeribus invitat & incitat, ut, siue iuvenes, siue senes, siue di-
vites, siue pauperes simus, sortem nostram consideremus; ut no-
strum perpendamus exitum, ut abhorreamus à vanitate terrae,
ut ad solidum gaudium, quod in caelo est, adspiremus, ut verà volu-
ptate, qua Christus est, animos nostros recreemus, ut deniq; omni
studio in artem bene moriendi, qua difficilima, incumbamus, &
discamus cum Davide ex Psalmo 39. sepius precari: Notum fac
mihi, Domine, finem meum, & numerus dierum meorum quis sit,
ut sciam, quid desit mihi. P. P. Rostochj 26. Julij
Anno M. DC. XXXVII.





bitavit, semper enixa est vivere Christo, mori ma-
randem relicto, ad illum late transmigravit. Po-
mei instituti ratio, & hodiernus dies, ut paucis
cursu & peregrinatione, quam nobiscum in terram,
& abeuntis memoriam conservem. Natus ille
be Anno 1572. die 15. Novemb. patre viro spectatissimo
SIBRANDO civis primario, & matre DOROTHEA
pervetusta & nobili Wencksterniorum familia
illi paternus fuit JOHANNES SIBRANDVS, civis h
stissimus, maternus verò vir amplissimus JOHA
civs praclaro genere Saechtingiorum apud H
gnatus. Hi Progenitores filium suum Canonem
annis studio pietatis, ac bonarum literarum na
curarunt, certò persuasi, quod, quemadmodum
sic animum litera curent, & quod artes libera
sint divitiae. Ipse quoq; defunctus à prima adole
quòd putvinar Sarana veteres dixerunt; non vo
lorum esca, non inertia, qua stulticia mater est: s
nibus ingenuisq; disciplinis totum se dedit, & t
boni omnes hac de bona indole egregiam spem
ipso non fefellit. Vir enim evasit bonus, eruditus,
& sibi, & aliis prodesse potuit. Postquam ad fu
per venit, singulari Dei providentiâ sibi vita soc
nem elegantissimam, & pudicissimam MARGARE
ex clarissima & vetustissima Clerikorum familia
eo anno 1605. die Martini Christiano more copul
jugium uti felix & suave, ita fecundum fuit,
enim in eo sunt quatuor filij, totidemq; filia, licet
in ipso parva fuerit extinctus. Ex filiabus primog
viro clarissimo & consultissimo Dn. D. BERNHAR
illustri judicij Megapolitani Advocato & Procura
psit: secundo- genita CATHARINA viro conspicuo

A 3

